

In diebus illis uenit iohannes baptista predicans in heremo iudeae, et dicens. Penitentiam agite, appropinquauit enim regnum caelorum.

Quibus diebus illis? Neque enim tunc cum puer erat, et in nazareth erat, sed et post triginta annos uadit iohannes, quemadmodum et lucas testatur. Qualiter igitur ait in diebus illis? Consuetudo semper est scripturae, hoc uti modo non solum cum dicit quae contingunt in eo quod deinceps est tempore, sed et cum ea quae post multos posteriores annos contingent, enarrat. Ita ergo et quando in monte oliuarum ei sedenti aduenerunt discipuli, et de aduentu eius discipuli querebant, et de ierosolimaee captionem, et profecto noscitis quantum est medium alterutris temporis, dicens enim effossionem metropoleos, et sermonem qui erat de his complens, cum deberet transire ad sermonem qui est de consummatione, induxit, tunc et haec erunt, non coniungens tempora indicendo tunc, sed illud solum monstrans tempus, in quo haec contingere debebant, quod et nunc facit dicens, in diebus illis. Non enim eos qui deinceps erant dies manifestans hoc posuit, sed illos in quibus contingere debebant, quae narrare **preparabatur**. Et cur post triginta annos ait, ad baptismum uenit ihesus? Soluturus erat legem post baptismum hoc. Propterea usque ad hanc aetatem quae omnia suscipit peccata, manet, ipsam uniuersam implens, ut nullus dicat quoniam ideo quia non potest eam implere, soluit. Neque enim semper omnes **nobis instant** passiones, sed in prima quidem aetate multa est **ignorantia**, et pusillanimitas. In ea autem quae est post illam uehementior est uoluptas, et post hanc rursus pecuniarum concupiscentia. Propterea omnem aetatem expectans, et per omnem aetatem implens legem, sic ad baptismum postea uenit, ipsum superapponens aliorum mandatorum impletioni. Quoniam enim baptisma ultima fuit ei legalium directio, audi quid ait. Ita decens nobis est implere omnem iusticiam. Quod autem dicit tale est. Omnia legalia perfecimus, nullum transgressi sumus mandatum. Quoniam igitur hoc solum derelictum est, oportet et hoc apponere, et ita omnem implebimus iusticiam. Iusticiam enim hic uocat impletionem uniuersorum mandatorum. Sed quoniam christus quidem propter hoc ad baptismum uenit, manifestum est ex hoc quod dixi. Cur autem baptismum **hoc ei excogitatum est**? Quoniam enim non ex se zacharie puer, sed deo mouente ipsum ad hoc uenit, et lucas id ostende dicens. Verbum domini factum est super ipsum, hoc est preceptum, et ipse autem ait. Qui misit me baptizare in aqua, ille michi dixit. Super quem uideris spiritum descendentem uelut columbam, et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Quare missus est baptizare? Et rursus et hoc baptista manifestum nobis facit dicens, quoniam ego nesciebam ipsum, sed ut **manifestetur israeli** propterea ueni in aqua baptizans. Etsi ipsa fuit sola causa, qualiter ait ipsum lucas dicere quoniam ueni in regionem quae est circa iordanem predicans **baptismum penitentiae** in remissionem peccatorum? Quamuis non habebat remissionem, sed hoc donum erat baptismatis quod postea datum est. In hoc enim consecuti sumus, et uetus noster homo tunc simul crucifixus est, et ante crucem nusquam apparet remissio existens. Vbique enim sanguini eius hoc reputatur. Et paulus autem ait, sed abluti estis, sed sanctificati estis, non per baptismum iohannis sed in nomine domini nostri ihesu christi et in spiritu dei nostri. Et alio autem ait. Iohannes quidem predicauit baptismum penitentiae, et non dicit remissionis, ut credant in eum qui uenit post ipsum. Cum nondum enim hostia oblata esset, neque spiritus descendisset,

Commented [ND1]: [fol.31rb]

Commented [ND2]: uel nos *add. super lin.*

Commented [ND3]: uel impugnant *add. super lin.*

Commented [ND4]: uel inscitia *add. super lin.*

Commented [ND5]: iohannis *add. super lin.*

Commented [ND6]: uel excogitauit *add. super lin.*

Commented [ND7]: uel appareat *add. super lin.*

Commented [ND8]: [fol.31va]

neque peccatum solum esset, neque inimicitia destructa esset, neque maledictio interempta esset, qualiter deberet remissio fieri? Quid igitur est in remissionem peccatorum? Insensati erant iudei, et propria nequaquam sentiebant peccata, sed ultimis existentes obnoxii malis, iustificabant seipsos ubique quod maxime eos disperdiderat, et a fide abduxerat. In hoc igitur et paulus incusans eos dixit. Quoniam ignorantes dei iusticiam et suam querentes statuere, iusticie dei non sunt subiecti. Et rursus. Quid igitur dicemus quoniam gentes quae non persequuntur iusticiam assumpserunt iusticiam? Israel autem persequens legem iusticiae, ad legem iusticiae non peruenit. Propter quid? Quoniam non ex fide sed ut ex operibus. Quoniam igitur haec erat causa malorum, aduenit iohannes, nichil aliud faciens quam in excogitationem eos ducens priorum peccatorum, hoc denique et forma eius manifestabat, penitentiae et confessionis existens, hoc et predicatio monstrabat. Nichil enim aliud dixit, sed facite fructus dignos penitentiae. Quoniam igitur non accusare propria peccata, ut et paulus monstrauit resiliere eos faciebat a christo, in excogitationem autem eorum uenire, concupiscentiam constituit exquirendi redemptorem, et desiderandi remissionem, hoc uenit construens iohannes, et suadens eis penitentiam agere, non ut puniantur sed ut penitentia facti humiliores, et condempnantes seipsos, ad accipiendum remissionem currant. Vide itaque qualiter id posuit diligenter? Dicens enim quoniam uenit predicaturus baptismum penitentiae in heremum iudeae, induxit in remissionem, ac si diceret propterea eis suadebat confiteri et penitere de peccatis, non ut punirentur, sed ut facilius posteriorem remissionem susciperent. Si enim non accusassent seipsos, non utique gratiam quesissent, non querentes autem non utique remissione potiti essent. Quare hoc baptisma illi uiam prefaciebat baptismati. Ideoque dicebat ut credant in uenientem post ipsum. Cum predicta autem et hanc aliam causam ponentes baptismatis. Neque enim equale erat circuire domos et circumducere christum per manum assumptum, et dicere in hunc credite, et omnibus aduenientibus et uidentibus beatam allatam esse uocem, et alia omnia perfecta esse. Propterea uenit ad baptismum. Etenim baptizantis suspicatio, et rei materia omnem ciuitatem trahebat et ad iordanem uocabat, et theatrum factum est magnum. Propter hoc eos et aduenientes contrahit, et suadet nichil magnum de seipsis imaginari. Monstrans ultimis existentes obnoxios malis nisi penituerint, et progenitores relinquentes et in illis exultare, susceperint eum qui aduenit. Etenim coobumbrata erant quae secundum christum erant interim, et estimabatur a multis mortuus esse, propter occisionem in bethleem factam. Etsi enim duodecim annorum factus manifestauit seipsum, sed uelociter et coobumbravit rursus. Propterea preclarorum proemiorum et excelsioris principii necessitas erat. Ideoque primum tunc quae nunquam audierunt iudei neque a prophetis neque ab aliis aliquibus predicat clara uoce, celorum et eius quod illic est regni rememorans, et nichil de terra dicens de reliquo. Regnum autem hic, presentiam eius priorem et ultimam ait. Et quid hoc ad iudeos ait? Neque enim sciunt quid dicis. Propter hoc enim sic dico ait, ut ab incertitudine eorum quae dicuntur erecti, ueniant ad querendum eum qui predicatur. Si ergo aduenientes bona spe extollebat, ut et multi publicani et milites interrogarent quid oportet facere, et qualiter suam uitam dispensare. Quod erat signum ab huius uitae rebus liberandi, et ad alia maiora inspiciendi, et futura somniandi. Etenim omnia quae uidebantur et dicebantur, ad excelsiorem eos ducebant scientiam. Intellige itaque quam magnum erat uidere hominem post triginta annos descendentem ab heremo, principis sacerdotum filium, non indigentem aliquo humanorum unquam, et undique existentem uenerabilem, et isaiam habentem secum. Aderat enim et hic ipsum predicans et dicens, hic est quem clamantem adesse dixi, et in heremo clara uoce omnia predicantem. Tantum enim studium prophetis de his rebus factum est, ut non solum dominatorem sui ipsorum, sed et eum qui administraturus erat ei, ex multo ante tempore predicauerint. Et non solum eum dicerent, sed et locum in quo moraturus erat, et modum

Commented [ND9]: propriam add. super lin.

Commented [ND10]: habitus add. super lin.

Commented [ND11]: [fol.31vb]

Commented [ND12]: quod christus esset add. super lin.

Commented [ND13]: uel castigat add. super lin.

Commented [ND14]: [fol.32ra]

Commented [ND15]: uel inmanifesto add. super lin.

Commented [ND16]: ipsorum add. super lin.

Commented [ND17]: [fol.32rb]

predicationis quem adueniens docturus erat, et correctionem ab eo futuram. Vide itaque qualiter ad eundem intellectum ueniunt, etsi non ad eadem uerba, et propheta et baptista. Propheta enim ait, quia aderit dicens, parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem adueniens dixit, facite fructus dignos penitentiae, quod aequale est ei quod dicit, parate uiam domini. Vides quoniam et per quae propheta dixit, et per quae ipse predicauit, unum hoc manifestatur solum, quoniam proficiens et preparans uiam aduenit, non donum largiens quod erat remissio, sed preparans animas suscepturorum deum uniuersorum. Lucas autem et amplius quid ait. Non enim proemium dicens quieuit, sed et omnem ponit prophetiam. Omnis enim uallis ait implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt praua indirecta et aspera in uias planas, et uidebit omnis caro salutare dei. Vides qualiter preassumens propheta omnia dixit, et plebis concursum, et rerum ad melius transmutationem, et predicationis **leuitatem**, et causam omnium quae fiebant, etsi tropice haec posuit. Etenim erat propheta quod dicebatur. Cum enim dicat omnis uallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur et erunt asperae in uias planas, et humiles exaltatos monstrat, et superbos humiliatos, et legis difficultatem, in leuitatem fidei transmutatam. Non amplius enim erunt sudores et labores ait, sed gratia et uenia peccatorum, multam tribuentes salutis facilitatem. Deinde horum causam ponit dicens, quoniam uidebit omnis caro salutare dei. Non amplius iudei et proseliti solum, sed et omnis terra et mare, et uniuersa hominum natura. Per prauam enim, omnem corruptorum uitam enigmatace insinuauit, **publicanos** et adulteros, et latrones, et magos, qui existentes peruersi prius, rectam postea incesserunt uiam, quod nimirum et ipse dixit. Quoniam publicani et adulteri precedent uos in regnum. Et per alia autem uerba manifestauit propheta rursus hoc idem ita dicens. Tunc lupi et agni simul pascentur. Quemadmodum enim hic per montes et ualles inaequales mores in unam philosophiae equalitatem mixtos esse dixit, ita et illic irrationalium consuetudinibus diuersos hominum modos demonstrans, rursus in unam eam pietatis consonantiam coniunctos esse dixit, et illic rursus causam ponens quae est haec. Erit enim ait qui exurgit principari gentium, in ipso gentes sperabunt. Quod nempe et **hic** dixit, **ait**, quoniam uidebit omnis caro salutare dei. Vbiq̄ue manifestans quod ad fines orbis terrarum effundetur aeuangeliorum horum uirtus et cognitio, a ferali modo et duricie mentis in mansuetudinem multam et simplicitatem, transmutans hominum genus. Ipse autem iohannes habebat indumentum suum ex pilis camelorum, et zonam pelliciam circa lumbos suos. Vides qualiter haec quidem prophetae predixerunt, haec autem, aeuangelistis reliquerunt. Ideoque matheus et prophetias ponit, et quae a seipso erant apponit. Neque hoc superfluum existimans esse, de stola iusti dicere. Etenim erat mirabile et paradoxum id est inopinabile in humano corpore tantam patientiam uidere, quod utique et iudeos magis attrahebat, magnum heliam in ipso uidentes, et ad beati illius memoriam ex his quae uidebantur tunc missos, magis autem et amplio rem stuporem. Ille enim et in ciuitatibus et in domibus **ferabatur**, **hic** autem continue heremum ex fasciis ipsis habitauit. Oportebat enim precursorem eius qui omnia uetera soluiturus erat, puta, laborem, maledictionem, tristitiam, sudorem, habere quaedam et ipsum simbola id est signa talis **donationis**, et superiorem esse illa condemnatione. Neque enim terram seuit, neque aream scidit, neque sudore faciei panem comedit, sed fuit sine preparatione ei mensa, et facilius mensa, amictus, et in preparatio amictu habitatio. Neque enim tecto, neque cubili, neque mensa, neque alio aliquo horum indiguit, sed quidam angelicus in carne hac monstrabatur. Propterea cilicinum indumentum ipsi erat, ut per **figuram** erudiat ab humanis desistere, et nichil commune habere ad terram, sed ad priorem recurrere nobilitatem in qua erat ante quam indiguisset uestimentis et circum amictu adam, sic et regni et penitentiae habebat simbola id est figuras illas. Et ne michi dicas unde ei cilicinum uestimentum et zona, heremum habitanti. Si enim hoc aporiaberis, et alia plura queres, qualiter in hyeme et aestu morabatur in

Commented [ND18]: *facili add. super lin.*

Commented [ND19]: *[fol.32va]*

Commented [ND20]: *loci add. super lin.*

Commented [ND21]: *alias add. super lin.*

Commented [ND22]: *[fol.32vb]*

Commented [ND23]: *remissionis add super lin.*

Commented [ND24]: *uel abitum add. super lin.*

solitudine, et maxime in molli corpore et immatura aetate, qualiter suffecit puerilis carnis natura tante inequalitati aeris, et mense ita alteratae, et alii solitudinis miseriae. Ibi igitur sunt grecorum philosophi, qui inaniter et uane caninam inuerecundiam zelati sunt? Quae enim utilitas in dolio reclusionis, cum et talia impudica postea fecerint? Etenim et anulos et phialas et famulos et famulas, et multas alias superfluitates congregauerunt, in alterutram immoderantiam incidentes. Sed non hic fuit talis, sed uelut caelum heremum omnem habitauit, certissimam philosophiam demonstrans, et inde ut angelus quidam ex caelis ad ciuitates descendebat, athleta pietatis existens, et orbis terrarum coronator et philosophus digna caelorum philosophia. Et haec erant nondum peccato soluto, nondum lege quiescente, nondum morte ligata, nondum aeneis portis effractis, sed adhuc ueteri dominante urbanitate. Talis est nobilis anima et erecta. Etenim ubique prosilit, et preiacentes superexcede foueas, quemadmodum et paulus in noua faciebat urbanitate. Sed cur ait et zona cum uestimento utebatur? Consuetudo hoc ueteribus erat ante quam in molle hoc et effusum exissent schema. Sic itaque et petrus apparet cinctus et paulus. Virum enim ait cuius est zona haec. Et helias autem ita erat constrictus, et quisque sanctorum, quia erant semper in opere, scilicet in itineribus, uel de alio aliquo necessariorum habentes studium. Et quia decorem omnem conculcabant, et duram uitam omnifariam meditabantur, quod et ipsum maximam uirtutis laudem esse, ait christus ita dicens. Quid existis in desertum uidere? Hominem mollibus uestimentis indutum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt. Si autem ille qui purus ita erat et caelo clarior super prophetas uniuersos, et quo maior nullus factus est, et tantam liberam presentiam habebat, ita seipsum dura uita cogebat, fluentem quidem lasciuam cum diuiciis expuens, ad duram autem hanc uitam seipsum ducens, quam habebimus excusationem qui post tantum beneficium et infinita honora peccatorum, neque minimam particulam confessionis eius demonstramus, sed ebrii sumus et castrimargi, et unguento olentes, et in scena eunium mulierum in nullo melius dispositi, et undique nosmetipsos mollificamus, et diabolo facile captabiles facimus. Tunc exibat ad ipsum omnis iudea et ierosolima, et omnis regio quae erat circa iordanem, et baptizabantur ab ipso confitentes peccata sua. Vides quantum potuit presentia prophetae, qualiter omnem plebem erexit, qualiter eos in excogitationem duxit propriorum peccatorum? Etenim erat miraculo dignum uidere inhumana figura talem demonstrantem seipsum, et tanta utentem libera presentia, et aduersus omnes ut in pueros insurgentem, et multam a facie fulgidam gratiam habentem. Conferebat autem in stuporem, et quod post multum tempus propheta hic apparebat. Etenim dereliquerat eos gratia prophetarum, et post longum tempus reuersa erat ad eos. Et predicationis autem modus extraneus et alteratus existens, ad id proderat. Nichil enim assuetorum audiebant, puta prelia et sediciones, et uictorias inferiores, et fames, et pestilentias, et babilonios, et persas, et ciuitatum captionem, et alia consueta, sed caelos, et illud quod illic est regnum, et supplicium quod est in gehenna. Propterea et apostatis qui secundum heremum cum iuda et theuda erant, non ante multum tempus occisis omnibus, non facti sunt desidiores ad eum qui illic erat exitum. Neque enim in eadem eos uocabat, puta in tyrannidem et sedicionem, et nouam factionem, sed ut ad superius deducat regnum. Ideoque neque retinebat eos circumferens secum in heremo, sed baptizans et de philosophia erudiens sermones dimittebat, per omnia eos docens, omnia quidem quae in terra despiciere, futura autem concupiscere, et ad ea per singulos dies festinare.

Tunc utique et nos zelemur et lasciuas et ebrietatem relinquentes, ad constrictam transmutemur uitam. Etenim confessionis est tempus, et indoctis et baptizatis. His quidem ut penitentiam agentes sacris pociantur misteriis, his autem ut abluti in baptismate a sordibus, pura conscientia ad mensam adueniant. Desistamus igitur ab humida hac et dissoluta uita. Non enim est simul et

Commented [ND25]: [fol.33ra]

Commented [ND26]: id est habitum *add. super lin.*

Commented [ND27]: [fol.33rb]

Commented [ND28]: [Morale decem] Quoniam penitentia est operari contraria his que aliquis peccauit, et de patientia quae est in honorationibus

Commented [ND29]: [fol.33va]

confiteri, et lasciuere. Et haec doceat uos iohannes, ab indumento, ab esca, a domo. Quid igitur? Ita iubes nos constrictos esse ait? Non iubeo sed consulo et moneo. Si autem non possibile uobis est hoc, saltem in ciuitatibus existentes, demonstramus penitentiam. Etenim in ianuis est iudicium. Si autem et longius esset, neque ita audere oporteret, cuiusque enim finis uitae consummationis habet uirtutem ei qui uocatus est. Quoniam autem et in ianuis est, audi paulum dicentem. **Nox** precessit, **dies** autem appropinquauit, et rursus. **Veniet** enim qui uenit, et non tardabit. Etenim signa iam completa sunt, quae uocant diem illam. Predicabitur enim ait hoc aeuangelium regni in toto mundo, in testimonium omnibus gentibus, et tunc ueniet finis. Intendite cum certitudine ei quod dicitur, non dixit quando credetur ab omnibus hominibus, sed quando predicabitur apud omnes. Ideoque dixit in testimonium gentibus, monstrans quia non expectat omnes credere, et tunc aduenire. In testimonium enim, hoc est in accusationem, in redargutionem, in condemnationem eorum qui non crediderunt. Sed nos haec audientes et uidentes dormimus et somnia uidemus, quemadmodum in profunda nocte stupidi. In nullo enim somniis meliores sunt presentes res, etsi benigne fuerint, etsi tristes. Ideoque deprecior iam excitari, et ad solem iusticie respicere. Nullus enim dormiens solem uidere potest, neque letificare uisum pulcritudine radii, sed quecumque utique uiderit, omnia ut in somnio uidet. Propterea **multe** nobis indigentia est confessionis, et multarum lacrimarum. Et quoniam **sine dolore** dispositi sumus delinquentes. Et quoniam magna sunt peccata, et uenia maiora. Et quod non mentior, testes sunt plures eorum qui audiunt. Sed tamen etsi uenia sint maiora, penitentiam agamus, et coronas assumamus. Penitentiam autem dico non a prioribus desistere solum malis, sed et maiora demonstrare bona. Facite enim ait fructus dignos penitentia. Qualiter autem faciemus? Si contraria operabimur, quale quid dico? Rapuisti aliena? Da et quae tua sunt ergo, multo adulterasti tempore? abstine et a muliere tua, determinatis diebus continentiam erudi. Conuitiatus es, et percussisti transeuntes, benedic ex reliquo conuiciantes. Et benefac **plagam** inferentibus. Non enim sufficit ad sanitatem nobis sagit tam extrahere solum sed et uulneri pharmaca superappondere. Lasciuiisti et ebrius factus es anteriori tempore, ieiuna, et potui aquae intende, ut iacturam quae inde facta est destruas. Vidisti incontinentibus oculis pulcritudinem alienam, neque uniuersaliter uideas mulierem ex reliquo, ut in ampliori constituaris stabilitate. Declina enim ait a malo, et fac bonum. Et rursus. Prohibe linguam tuam a malo et labia tua, ut non loquantur dolum. Sed dic michi et bonum. Inquire pacem, et persequere eam. Non eam quae ad homines est dico solum, sed et eam quae ad deum. Et benedixit persequere. Abacta enim est et expulsa. Et terram relinquens ad caelos abiit. Sed poterimus eam rursus reducere si uouerimus, presumptionem et superbiam, et omnia prohibentia eam expellentes, sobriam hanc et subtilem persequi uitam. Nichil enim ira et audacia difficilium. Ipsa enim tumidos et seruituti dignos operatur. Per illud quidem derisibiles, per hoc autem odibiles faciens, et contrarias inducens malicias, presumptionem simul **et** blandiciam. Sed si superfluitatem quidem a passione abscidemus, et humiles cum diligentia, et excelsi cum stabilitate erimus. Etenim et incorporibus nostris a superhabundantia distemperantiae fiunt. Et quando proprios terminos relinquentia elementa in immoderantiam exierint, tunc infinite egritudines, et difficiles mortes generantur, quod et in anima uidebit aliquis contingens. Abscidamus igitur immoderantiam, et salutare moderationis bibentes pharmacum, maneamus in eucrasia id est temperantia decenti. Et orationibus cum diligentia intendamus, etsi non acceperimus immoremus ut accipiamus, etsi acceperimus quoniam suscepimus. Neque enim ipse uult tardare dationem, sed procrastinatione instantiam a nobis **soffismatur**. Ideoque subtrahit petitionem, et temptationem concedit multociens superuenire, ut continue ad ipsum refugiamus, et refugientes maneamus, ita et patres amatores faciunt, et matres quae diligunt pueros, cum uiderint pueros eam quae cum eis est

Commented [ND30]: presens *add. super lin.*

Commented [ND31]: iudicii *add. super lin.*

Commented [ND32]: tunc etiam suspectum quod hodie, *iustius notum in marg.*

Commented [ND33]: [fol.33vb]

Commented [ND34]: uel insensibiliter *add. super lin.*

Commented [ND35]: tibi *add. super lin.*

Commented [ND36]: [fol.34ra]

Commented [ND37]: latenter expetit *add. super lin.*

moram relinquentes, et cum coetaneis ludentes, multa terribilia famulos fingere construunt, ut ob timorem cogantur ad maternum sinum confugere. Ita et deus pretendit multociens minas, non ut inducat sed ut ad seipsum attrahat. Cum itaque reuersi fuerimus ad ipsum, soluit timorem confestim, quia si similes essemus in temptationibus et remissione, non utique opus haberet temptationibus. Et quid dico de nobis? Etenim sanctis illis, multa hinc sobrietas erat. Ideoque propheta dicit. Bonum est michi quia humiliasti me, et ipse autem apostolis dixit. In mundo tribulationem habebitis. Et paulus hoc enigmatice insinuat cum dicit. Datus est michi stimulus carnis angelus sathane ut me colaphizet. Ideoque deprecans liberari a temptatione non inpetrauit, quia multa utilitas ex ipsa superueniebat. Si autem et dauid uitam pertransierimus omnem, inuenimus ipsum in periculis clariorem existentem, et ipsum et alios uniuersaliter qui erant secundum ipsum. Etenim iob tunc magis effulsit, et ioseph autem ita amplius comprobatus est, et iacob autem et qui huius pater et qui illius, et omnes quicumque unquam clariores induti sunt coronas, a tribulationibus et temptationibus, et coronati sunt et famosi effecti. Quae omnia cognoscentes secundum sapientum sermonem, ne festinemus in tempore inductionis mali, sed unum solum eos erudiemus, ferre omnia uiriliter, et nichil eorum quae facta sunt multum inuestigare neque circumscrutari. Scire enim quando oportet solui tribulationes, permittentis est eas aduenire. Illatas autem cum omni ferre gratiarum actione, nostrae est bone mentis opus, quod si contigerit, omnia bona sequentur. Vt igitur haec sequantur et probabiliores hic et clariores illic fiamus, omne quodcumque superuenerit suscipiamus. Gratiam recognoscentes ei qui super omnes scit, magis id quod nobis confert, et his qui genuerunt uehementius nos diligenti, et has utrasque excogitationes secundum unumquodque periculorum in nobis ipsis cantantes constringemus tristitiam. Glorificabimus autem in omnibus deum, qui omnia pro nobis facit et negociatur. Ita enim et insidias expellemus facile, et inmarcescibilibus potiemur coronis. Gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cum quo patri gloria, honor, imperium, cum sancto spiritu, nunc et semper et in secula seculorum amen.

Commented [ND38]: [fol.34rb]